

August Varenius Otto Jansenius

Thromboysa Agnia h.e. Diatribe Philologico-Theologica De Confortatione Angeli, Agonia, Precibus Intensioribus, Et Sudore Christi Sanguineo, ab Evangelista Luca c. 22. v. 43. & 44. propositis, quam Consensu Venerand. Facult. Theolog. Sub Praesidio Augusti Varenii ... In celeb. quae an Varnum est Academia hora ab 8. ante merid. d. 7. April. A.O.R. M DC LXXX. In Auditorio Maiori. Publicae placidaeq[ue] eruditorum disquisitioni submittit Otto Jansenius, Harburg. Luneb. Autor & Respondens

Rostochii: Richelius, 1680

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn737561424>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 1680

Varenius, Aug./a

ΘΡΟΜΒΟΥΣΑ Η ΑΓΩΝΙΑ

h. e.

DIATRIBE PHILOLOGICO-THEOLOGICA

DE

CONFORTATI-
ONE ANGELI, AGO-
NIA, PRECIBUS INTENSIO-
RIBUS, ET SUDORE CHRI-
STI SANGVINEO,

^{ab}
Evangelista Luca c. 22. v. 43. & 44. propositis,

^{quam}

Consensu Venerand. Facult. Theolog.

Sub PRÆSIDIO

AUGUSTI VARENII,

S. S. Theol. Doct. Sereniss. Duc. Meklenb. Consistor. Assessoris
& Professoris Theologi, Colleg. Theol. & totius Universi-
tatis Senioris & spectabilis h. t. Vice-Decani.

In celeb. quæ ad Varnum est Academiâ hora ab 8. ante merid.

d. 7. April. A. O. R. MDC LXXX.

In Auditorio Majori,

Publicæ placidæq; eruditorum disquisitioni submittit

OTTO JANSENIUS, Harburg. Luneb.

Autor & Respondens.

Rostochii, Prælo RICHELIANO.

48

OPOMBOY ZA H A L O N I A

DIATRIBE PHILOLOGICO-TRITOLOGICA

CONFORTATI
ONE ANGELL AGO
NIA PRECIBUS INTENSIO
RIBUS ET SUDORE CHRIS
TI SANGVINEO

Evangelicae fides et in 3. et 4. propositis

Consilium Venerandi Facultatis Theologicae

Universitäts-
bibliothek
Rostock

AUGUSTINUS
S. S. Theol. Doc. et Prof. D. C. G. G.
& Professor Theol. Collegii Theol. & Juris Universitatis
Rostocensis & Professor Theol. & Juris Collegii
in Joh. sax. universitatis Rostocensis
in Augustino Majori
OTTO FANSENUS, Libarius Linceus.
Auct. & Lipsiae.

Rostochii, Petri RICHELIANI.

Ad Eximium & Doctissimum Juvenem
DN. OTTONEM JANSENIUM,

Harburgâ Lüneburgensem,
SS. Theologiæ Studio sum fulgidissimum,

Suas

De SUDORE CHRISTI SANGVINEO

Et

CONFORTATIONE ANGELICA,

Meditationes sacras

publicè Respondendo defendentem.

Sudores varios Medicorum gloria prima
Dorus is aut Cous, scripserat Hippocrates (a)
Ut *sene* posterior (sed solo tempore) Coo,
Nicomacho genitus, Phæstide matre satus
Magnus Aristoteles fuerit, decus ille Sophorum
Ipse Stagirorum primus in urbe Sophus
Ætas, cui Sophiæ studio, grandiq; labore
Non dedit ulla parem, nec dabit ulla parem,
Sudorum, minor haut Medicorum Principe, Mysta (β)
Prendere quod refert, doctus in orbe refert.
Sponte fluat sano num corpore *sensilis humor*?
Aut *mador* & tenuis *roris* ad instar habens?
Causa colorati (γ) quæ, sudative *crucoris*
Venarumq; quibus profluat ille *poris*?
Atq; *retentricis* num *debilis* argumentum
Corporis & morbi, plurima signa gerat?
Sudores *criticos*, horum *primordia*, *sines* (δ)
Noscere, quàm Medico sit decus atqve Sopho?

(a) vid.
l. 2. & 6.
de morb.
vulg.

(β) Vid.
de part.
an. l. 3.
c. 5.

(γ) Arist. l. alleg. ἡδὴ δέπουν ἰδρωσὶν συνέβη ἀματώδῃ περιττώματι
ἀπὸ κακῆς ἰατρ. i.e. nonnullis accidit, ut cruentum quoddam excrementum
sudent, propter male affectum corporis habitum.

Hippocrate atq; Stagiritâ magis Archiater. (e)
 LUCAS, (e) sudantem sistit in orbe Deum.
 Hucades & DOMINI sudorem cerne Viator!
 Hic verum veri sanguinis instar habet
 Hic dolor est & agon. Hic consternata tenere
 Quod solet, hoc luctans vena, resolvit opus.
 Spissat & in grumos crassos librasve cruorem
 Quem DOMINUS, quamvis terra tenebat, habet.
 Angelus, hoc in agone, Deum confortat, ab alto
 Ipse stupens DOMINI signa minora sui.
 Militat hic nobis pretinso sanguine constans
 Sudor, nec minus hoc spina (z) flagella, cruces.
 Spinarum quæ ferta, & quæ convicia, nostri
 Commeruit pondus criminis, ille tulit.
 Hæc tibi materies, JANSENI docte, Cathedræ
 Tempore non poterat commodiore dari.
 Sit felix! ut nunc patientis plurima JESU
 Signa, triumphantis sic quoque latus agas!

(d) Hipp. l. alleg. τὰ ἀνόητα εἰδέναι ὅτιν ἡγεῖται ἢ ὅτι ἀποβόουτο χροματίν
 i. e. Sudores quoque considerare oportet, unde initia ceperint, ubi cessent, & il-
 lorum colores &c. (e) Coloss. IV, 14. (e) cap. 22, 44. (z) Joh. 19, 1. 2.

Præstantissimo DN. Autori & Respondenti, dedicatum
 JESU sanguinem sudanti specimen sacrum
 studiorum gratulatur, & ex vulneribus JE-
 SU optumam semper valetudinem, & felices
 in studiis processus precatur

AUGUSTUS VARENIUS, D.



Cturus ego de ineffabili Christi *ἐκπέστει-
εν* precantis *ἀγωνίας*, quæq; antecessit,
confortatione Angelica, & qui sequutus
fuit, sudore sanguineo, æquum facere
videor, si *ὀνομαζολογίαν* præferam, & po-
stea *παραμαζολογίαν* subjungam. *Ὁς γὰρ,*
inquit, Plato in Gorgiâ πρὸ *ὀνόματα* οἷδ' ὅτι
οἱ τε καὶ τὰ πρᾶγματα: qui novit nomina,
novit etiam res. Antequam autem &
illud aggrediar, quod propositum est, authenticum cum versio-
nibus nonnullis textum præmitto ex Luc. 22. v. 43. & 44.

Textus Originalis.

*Ἦρθη δὲ αὐτῷ ἄγγελος ἀπὸ οὐρανοῦ ἐπιχρῶσαι αὐτὸν. καὶ γινόμενος
εἰς ἀγωνίαν ἐκπέστειεν πρὸς στήθεσ. Ἐγένετο δὲ ὀιδρώς αὐτοῦ ὡς εἰς θρόμβον
αἵματος καὶ βάλαντες ἐπὶ τὴν γῆν.*

Syrus.

*וַאֲחֻזִּי לָהּ מִלֹּאכָה מִן שָׁמַיִם דְּמַחִי לָהּ וְכֵן הוּא v. 43.
בְּחֻלְתָּהּ תְּכִיבֹאִת מִצֵּלָה הוּא וְהוּרָה דְּעֵתָהּ v. 44.
אֵךְ שִׁלְתָּהּ דְּדַמָּה וְנָפַל עָלֶיהָ אֵרֶעָה:*

Ex Versi: Trostii & Tremellii.

Et conspectus est ei Angelus de cælo corroborans eum. Et
quum esset in timore, instanter orabat. Et factus est sudor ejus
tanquam demissiones sanguinis & cecidit super terram.

Vulgata.

Apparuit autem illi Angelus de cælo confortans eum. Et
factus in agonia prolixius orabat. Et factus est sudor ejus, sicut
guttæ sanguinis decurrentis in terram.

Beza.

Conspectus est autem ei Angelus è cælo corroborans eum.
Et ipse constitutus in angore, intentius orabat. Erat autem su-
dor ejus quasi grumi sanguinis descendentes in terram.

A

Luthe-

Lutherus reddidit.

Es erschien ihm aber ein Engel vom Himmel / und stärket ihn. Und es kam / daß er mit dem Tode rang / und betet heftiger. Es ward aber sein Schweiß / wie Blutstropfen / die fielen auff die Erden.

EXEGBSIS.

S. I. Angelum fuisse, qui Christum, ἡ ἀγωνία γινόμενον confortaverit, Lucas testatur. Angelus Græcè Ἄγγελος ὁ δὲ ἀγγελλει, ab annunciano nomen habet, quia Angelus est minister & nuncius summi altissimiq; Dei, à quo, ut voluntatem suam annunciet, mittitur & ablegatur. Πόλιτις μὲν ὅτι quidem est vox Ἄγγελος, significans mox homines ministros ut Gen. 32, 3. ap. LXX. ubi dicitur ἄπὸ τῆς αἰετῶς ἀγγέλους ἐμπεσοῦναι πρὸς Ἠσαὺ πρὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, miserat Jacob ante se ad Esau fratrem suum Angelos, h. e. misit nuncios, misit ministros suos. Mox Angelos caelestes, eosq; vel bonos ut Gen. 28, 12. & Ps. 91, 11. vel malos Apoc. 12, 7. Mox ipsum Dei Filium. Ita Malach, 3, 1. vocatur Angelus ðæderis. Mox virum valde pium aut doctorem sincerum Chag. c. 1, 13. Mal. 2, 7. de quibus consulendus Flacius in Clav. script. part. 1. sub tit. Angelus.

Hoc autem loco Angelum caelestem quendam ex nihilo creatum Spiritum intelligi omnes orthodoxi Dd. consentiunt. Et quidem unus tantum Angelus adfuit, uti singularis numerus testatur, qui sufficiens fuit ad hoc illustre confortationis ministerium exhibendum. Plures quidem potuissent adesse, si ipse modò Christus voluisset: ita enim Petro: Matth. 26, 53. An putas, me non posse nunc precari Patrem meum, qui huc sistat mihi plures quàm duodecim legiones Angelorum? sed ex singulari Dei Patris dispensatione unicus tantum fuit missus. Quis autem ille fuerit, Evangelista non meminit. Quidam, quos inter Didacus Stella, Michaëlem fuisse putant. Verba ipsius in comm. ad Luc. c. 22. p. m. 283. hæc sunt: *Angelus autem hic erat beatus Michael, qui afflictionem Christianam, quam ejus Rex ex parte sen-*

de sensualitatis patiebatur, confortabat. Alii verò, quorum probabilior sententia videtur, Gabrielem illum fuisse existimant, adducti verbo ἐπιχρῆεν. Si enim nomen Gabrielis spectes, idem est, quod θεὸς ἄνθρωπος, Dei robur. Sed nolumus propterea rixari. Sufficit Angelum quendam fuisse sanctum, & ex cœlo, ut Lucas dicit: ἄγγελος ἀπὸ οὐρανοῦ. Nonnulli tamen ἀπὸ οὐρανοῦ ad sequentia referenda esse volunt, adeoq; comma ponunt post vocem ἄγγελος, hoc modo ὡς φησὶ δὲ αὐτῷ ἄγγελος, ἀπὸ οὐρανοῦ ἐπιχρῆεν αὐτῷ, q. d. Angelum, de cœlo corroborasse Christum, i. e. cœlitus, seu quod idem est, cœlicam confortationem attulisse.

§. 2. Apparuit autem hic Angelus in visibili scilicet seu spectabili & humanâ formâ, id quod Græcum ὡς φησὶ arguit. *Visibilis enim conspectus propriè ἐπιχρῆεν dicitur.* Vid. Gerh. harm. pass. c. 2. p. m. 74. Et de tali visibili Dei, Angelorumq; apparitione vocabulum hoc ὡς φησὶ LXX. etiam usurparunt. Gen. 12, 7. Jud. 6, 12. Adde Luc. 1, 22. Utrum autem hic Angelus à Deo ad Christum confortandum missus, soli Christo, an simul etiam discipulis apparuerit, nonnulli dissentiunt. Epiphanius in Ancorato asserit, Angelum etiam à discipulis visum esse. Sed hæc sententia, utpote verbis Lucæ contraria, meritò in dubium vocatur. Loquitur enim in singulari: ὡς φησὶ αὐτῷ, non αὐτοῖς, ut ita Christo soli, non autem aliis apparuisse ostendat. Convenit etiam hoc cum sequenti, ubi Christus dicitur discipulos invenisse dormitantes, κοιμωμένους, qui jam se ad somnum capiendum reclinaverant. Si igitur obdormiverunt, probabilius est, adserere, Angelum soli Christo, non autem discipulis apparuisse. Et si vel maximè vigilantes fuissent, in formâ tamen assumptâ potuisset Angelus à Christo solo conspici, illis non videntibus. Simile aliquo modo habemus in incolis Sodomæ Gen. 19. Accedit & illud, quod Christus ad jactum lapidis esset divulsus à discipulis; unde facili etiam negotio fieri potuisset, ut discipuli talem apparitionem non observassent, visibilem licet

cet atqve in humano corpore spectabilem. Sed quid opus est eò descendere, cum verba Lucæ clara satis sint & perspicua, quæ non multis, sed uni soli, nempe Christo, Angelum apparuisse testantur?

§. 3. Sequitur jam finis spectabilis hujus visionis seu apparitionis Angelicæ, Christi scilicet confortatio. Lucas dicit; apparuisse eum in finem Angelum, ut corroboraret seu confortaret Christum: ὡφθη δὲ αὐτῷ ἄγγελος ἀπὸ ἑρμῆ ἐν ἰσχύων αὐτοῦ. Vox ἐν ἰσχύων interioris confortationis significationem habet, quæ quis vel seipsum confortat, vel alium quendam, modo objectum illud sit confortationis capax, ut ita non activè solùm, sed passivè etiam accipiatur. De re quando usurpatur seu opere, firmitatem ejus, robur aut consistentiam ab artifice colatam significat, id quod benè monet Clotz. de sud. sang. Ch. exer. 18, th. 16. Atque ita sumitur ab LXX. 2, Par. 24, 13. In N. T. vix alibi vocabulum hoc compositum ἐν ἰσχύων occurret, nisi fortè hic apud Lucam, & Act. 9, 19. ubi de Paulo legimus, quod λαβὼν τροφὴν ἐν ἰσχύσεν, sumto cibo se collegerit, vires resumferit, atque adeò interius confortatus sit. Vid. Syllab. Pasor. à Leufdenio editum anno 1674. In V. autem T. LXX. sæpissimè adhibuerunt, ita tamen, ut efficaciam semper & incrementum significet. Unde etiam ex hujus voculæ ἐν ἰσχύων perpetuâ in S. S. significatione nullo certe negotio colligere possumus, quid Lucas h. l. velit. Hæc enim corroboratio ab Angelo facta non externa solùm, uti postea dicemus, sed interna quoque fuit, ut adeò veram & realissimam virium, roboris, fortitudinisq; in humanâ Christi naturâ in profundissimâ tum temporis κενώσει constitutâ, collationem atque certissimum incrementum denotet.

§. 4. Quænam autem causa fuerit, quare Angelus Christum confortare debuit, Evangelista sequentibus indicat, quando dicit Christum γενόμενον ἐν ἀγωνίᾳ. Summa igitur agonia fecit,

fecit, ut Deus Angelum confortatorem mitteret. Vulgatus ad
 verbum vertit: & factus in agonia, quæ interpretatio, teste
 Walæo in comm. ad h. l. p. 768. nimium obscura est. Agonia
 autem (1) significat idem quod, ὁ ἀγών, vid. 1. Tim. 6, 12. in si-
 gnificatione tam certaminis cujuscunque, Isocr. Evag. οἱ περὶ τὴν
 μισοκλήν καὶ ἄλλας ἀγωνίας ὄντες, quàm rei forensis Isocr. in Panæg.
 πρὸς τὰς ἀγῶνας τὰς περὶ τῶν ἰδίων συμβολάων σκεπῆσι. In specie no-
 tat palastram, ut Hesychius ait, & bellum apud Eurip. in Tro-
 ad. Vid. annot. Erasmi Schmid. in h. l. p. 620. Deinde signi-
 ficat angorem animi, & estuacionem ejus, qui in certamen descensu-
 rus est, &, ut Laërtius exponit φόβον ἀδήλων πραγμάτων, timo-
 rem rei incertæ atque dubiæ, seu ut Aristot. in problem. sect. 2.
 probl. 31. loquitur; timorem, quo percellitur opus aliquod ag-
 gressurus. Damascenus l. 2. Orthod. fid. c. 15. φόβον διαπίσ-
 τως, ἢ γὰρ ἀποτυχίας. φοβούμενοι γὰρ ἀποτυχίας τῆς πράξεως ἀγωνίζομεν,
 timorem casus aut infortunii: Timentes enim in operatione
 infortunari agonizamus. Quæ postrema etiam significatio
 hujus loci est. Verè enim teste Erasmi Schmid. l. c. ἀγῶνία
 fuit, i. e. angor, æstusque animi vehementissimus Jesu Christi,
 jam in certamen illud, non effandum, imò nullis cogitationi-
 bus attingendum, descendens, quo ipsi cum ira justissimâ
 summi Dei, cum omni peccato totius mundi, cum maternâ mor-
 te, Diabolo & inferno luctandum erat. Summa igitur luctan-
 tis Christi angustia fuit, quæ, si ἐτομον vocis ἀγῶνίας spectamus,
 & suas ipsius vires fregit, & omnium simul hostium. Ab ἄγω
 enim, frango, Pasor nomen accepisse testatur in Lexic. Græc.
 Lat. p. m. 19. Hinc versus:

Frangit & attollit vires in milite causa,

Quæ nisi justa subest, exquvit arma pudor.

Syrus h. l. vertit ἠδύτης in timore & pavore. Lutherus:
 Undes kam/ daß er mit dem Tode rang. Agon enim vulgari lo-
 quendi usu accipitur pro luctâ illâ extremâ hominis, quando
 anima jam in eo est, ut corpus derelinquat, atque hinc avolet.

§. 5. Pergit Evangelista & dicit: *ἠόρευεν ἐν ἀγωνίᾳ ἐκ-
 κενέσκειν πνεύματός*. Constitutus in agonia orabat intentius,
 seu ut Vulgatus, prolixius. Simul ut ab hac agonia, ab hac tre-
 pidatione & certamine correptus erat, ad orationis remedium
 absq; morâ confugit. Intentius autem orabat, quia agonia
 dubio procul crevit. Emphaticè autem dicit Lucas: *ἐκκενέσκει-
 σεν*, quasi Christum pariter orationem suam intendisse dice-
 ret, ac si sagittarius quidam, arcum nimis protraheret, ut
 firmius sagitta seu telum propositam metam penetraret: ac si
 Christus majore precum vi id obrenturus videretur, quod im-
 petrare hactenus non poterat. *Ἐκκενέσκειν πνεύματός*, scilicet
μὴ κραυγῆς ἰσχυρᾶς καὶ δακρύων, uti Hebr. 5. 7. Epistola dicit, ora-
 tionem suam & preces clamore valido & praterea fleus Patri
 cœlesti obrulit, ut ab omnibus adeò etiam discipulis in
 vestibulo horti sedentibus exaudiri possent, ut ait Gerh.
 harm. pass. c. 2. p. m. 54. Lucas verò, quod idem cap. 1.
 p. 42. annotat, unam tantum Christi orationem recenset,
 cum reliqui tamen Evangelistæ disertè adstruant, tribus
 ipsum vicibus ad preces abiisse. Fit autem hoc ideò, quia o-
 mnium trium idem fuit scopus, eadem materia, eadem etiam
 forma. Notandum etiam h. l. est, quod Lucas preces & ago-
 niam postponat confortationi, unde etiam quidam colligunt,
 post Angeli confortationem & alloqvium crevisse angorem in
 Christo, adeò, ut, cum sanguinem jam sudasset, oratione inten-
 tiori & validiori opus fuerit. Quidam in his Evangelistæ ver-
 bis *ὄραον πένθηον* faciunt. Ita Corn. à Lapid. in h. l. Hic fuit
*reigesta ordo: Christus primò & secundò jam oraverat, sed nullam
 Dei opem senserat; quare instante jam suâ comprehensione per-
 mittens agoniam, i. e. vehementiorem passionis Christi horrorem
 & angorem in se oriri, sudavit sanguinem, unde ad eum vincen-
 dum tertio vehementius oravit, ut doceret, crescente tentatione
 nos pariter intendere debere orationem. Quocirca tunc illicò
 apparuit Angelus confortans eum, quo facto desit orare, aque ac
 pavere*

pavere & morere, ac suppressâ & superatâ agoniâ animosè sese ad passionem composuit, ultroq; Jude proditori obviam prodiit. Sed licet aliâs hic loqvendi usus in Scripturis occurrat, id qvòd annotavit Flacius Clav. Scr. part. 2. tract. 4. de tropis & Schem: p. 374. & 394. tamen nulla hic necessitas urget, ut eò deveniamus, cum verba posteriora de incremento agonias & orationis, item de sudore sanguineo per ἀιολογίας prioribus subiecta intelligi possint, hoc sensu: Apparuit ei Angelus de cœlo corroborans eum: erat enim in agonia, precibusq; intentionibus, ob quas sudor ejus erat sicut guttæ sanguinis in terram decedentes. Vid, Gerh. d. l. & Clotzius de sud. sang. exerc. 18, th. 24.

§. 6. Sequitur jam, postquam angorem Christi precesq; validiores vidimus, sudor ipsius sanguineus. De quo Evangelista: ἐγένετο δὲ ὁ ἰδρῶς αὐτοῦ ὡς αἷμα & ἰδρῶς αἷμα κατὰ βαίοντες τῆς γῆς. Sudavit Christus & quidem verè: id qvòd vocabulum ἰδρῶς arguit, qvòd Lexicographi pariter ac Latinum *Sudor* *μαρὰ τὸ ἰδρῶς* dictum volunt, qvìa sudor est portio materiæ potentæ aqvòlæ, quæ beneficio jecoris præparata & una cum sanguine in venas dispersa per poros occultos à naturâ ad partem cutis extimam rejicitur, de quo vid. Hieron: Mercurialis. Juxta Aristotelē l. 3. de part. an. C. 5. Sudor est *μεϊσσομα τῆς ὀσμῆς ἰμυῖδος* excrementū vaporis humidī. Peculiariter autem ὁ ἰδρῶς de sudore dicitur ex labore & defatigatione orto. Scapul. p. m. 669. Unde etiâ sudor propriè corporibus animatis, sentientibus competit: analogicè autem aliis non vivis, uti fontes dicuntur τῆς γῆς ἰδρῶνες terræ sudores, & viscus dicitur ἰδρῶς arboris qvernæ sudor, apud Eustath: Et vinum apud Athen: l. 10. dicitur ἰδρῶς Βακχιάδος *μαρῆς* sudor Bacchici fontis.

§. 7. Verum propriè Christus sudavit: Et fuit sudor ipsius *ἰδρῶς αἷμα* *grumi sanguinis*, seu, ut Irenæi interpretatis emphaticè reddidit, globi sanguinis. Est autem *ἰδρῶς* propriè

propriè rei in unam massam concretæ frustum, instar glebulæ
 coagulatum. Dicitur $\delta\alpha\tau\acute{\alpha}$ τὸ $\theta\rho\acute{\alpha}\nu\alpha\iota$, verbi $\theta\rho\acute{\epsilon}\phi\omega$, quod etiam
 significationem $\pi\acute{\eta}\gamma\mu\iota$ cogo, compingo, habet, uti ex Eusta-
 thio notat Scapula: vel uti alii etiam volunt $\pi\alpha\rho\acute{\alpha}$ τὸ $\theta\rho\acute{\alpha}\nu\alpha\iota$
 frangere, ut $\theta\rho\acute{\epsilon}\mu\beta\epsilon$ idem sit, quod fragmentum. Suidas hu-
 morem illum falsum, qui in salifodinis fossilibus destillat, cum
 concretus & spissatus est, vocat $\theta\rho\acute{\epsilon}\mu\beta\epsilon\varsigma$ ἀλῶν. Sic Herodotus
 lib. i. grumos bituminis, seu bituminis concreti particulas, &
 frusta vocat $\theta\rho\acute{\epsilon}\mu\beta\epsilon\varsigma$ ἀσφάλις. Medicis vox $\theta\rho\acute{\epsilon}\mu\beta\epsilon$ satis
 frequens est, & dicitur iis communiter de lacte vel de sanguine,
 ut videre est apud Dioscoridem l. 5. c. 21. & l. 3. c. 44. Apud
 Galenum in lib. de tumoribus præter naturam $\theta\rho\acute{\epsilon}\mu\beta\epsilon$ expo-
 nitur ἀθρόα τὸ ἀίμα $\pi\acute{\eta}\xi\iota\varsigma$ αἰματηρῆ conferta sanguinis concre-
 tio, sensui exposita. Lib. i. de sem. $\theta\rho\acute{\epsilon}\mu\beta\epsilon$ vocat αἷμα πικρὸν,
 seu, ut Varinus reddidit, frusta concreti sanguinis, geronnen/
 geliefert Blut. Significat igitur propriè $\theta\rho\acute{\epsilon}\mu\beta\epsilon$ Medicorum
 Filiis, cum humor aliquis in corpore extra vasa naturalia pro-
 pulsus destillat & in illâ destillatione concrefcit & inspissatur,
 ut ideò mirum non sit (sunt verba Clotzii exer. 5. th. 4.) Lu-
 cam Evangelistam, professione Medicum eandem vocem, seu
 terminum artis in hac de sudore Christi materiâ sibi vendicasse.
 Vulgatus & Erasmus, quorum interpretatio tamen non satis est
 expressa, teste Walæo in not. ad h. l. vertit *Guttas*. Græca e-
 nim voce plus innuitur. $\theta\rho\acute{\epsilon}\mu\beta\epsilon$ propriè gutta non est, nisi sit
 concreta & quasi coagulata. Tremellius & Trostius ex inter-
 pretatione Syri vertunt demissiones. Syrus habet $\alpha\eta\lambda\psi$ quæ
 vox convenientiam habere videtur cum Chaldaico $\alpha\eta\psi\alpha$
 aut $\alpha\eta\psi\alpha$ catena, ut annotat Clotz. exer. 15. th. 6. de sud. sang.
 quod legitur in Targum. Ps. 129, 14. & Ps. 118, 27. unde verbum
 $\alpha\eta\psi\alpha$ & $\alpha\eta\psi\alpha$ catenavit incatenavit, per catenam demisit,
 deposuit. vid. Schindl. Lex. Pentagl. in voce $\alpha\eta\psi$ p. 1882. Cum
 ergò Syrus Interpretas ait, quod sudor Christi fuerit sicut $\alpha\eta\psi$
 catena

catenæ sive stillæ catenatæ, instar catenæ defluentis, hoc innuit, languinem ex ordine & copiosissimè, ad instar pluvix catenatim decidentis ex sanctissimo corpore defluxisse. Fuit igitur hic Christi sudor verus sanguis, & quidem concretus in grumos ex frigiditate aëris: fuit densus & crassus.

§. 8. Nec obstat particula ὡσεύ, quæ similitudinis sapius nota est, ut exinde cum Euthymio nudam sic admittere velimus comparationem, quando sudorem, viribus facultatis naturalis angore labefactatis & intrò revocatis, tam copiosum emanasse existimat, ac si grumi sanguinis in terram decidissent. Neque cum Theophylacto facere debemus, qui proverbialem urget hyperbolen. Sed potius cum Chrysoft. hom. ii. in Joh. hoc loco dicimus, particulam ὡσεύ ἑξαιρώσεύς καὶ ἀναμφοισβήης διορισμῶς confirmationis & indubitatæ assertionis esse. Et notandum sanè, quod Flacius habet Clav. sc. part. 2. p. 342. *Similitudo, inquit, sæpè rem ipsam & contra simplex sermo similitudinem significat. Nam similitudinis particula sæpè non similitudinem rei, sed rem ipsam significant: sicut Hebræi de suo Δ Caph veritatis differunt, quare aut abundant, aut vim adferendi habent. Adde & Glassium Philol. sac. lib. 3. tract. 5. can. 28. p. m. 742. qui: Similitudinis, inquit, particulis quandoq; non similitudo, sed res ipsa notatur. Vid. etiam Scaliger l. 6. de emend. temp. f. 255. Exempla ubivis sunt obviam. De ὡσεύ notamus tantum loca Luc. 24. v. ii. ubi Evangelista: καὶ ἐφάνησαν ἐν ἰσὺ ἀυτῶν ὡσεύ ληροῦ τὰ ῥήματα αὐτῶν visa sunt illis verba eorum tanquam deliramentum, h. e. habebant verè pro deliramento. Luth. Und es dachten sie ihre Worte eben / als wärens Märlein d. i. sie hieltens warhafftig für ein Märlein. Sic vidit Johannes Matth. 3, 16. Spiritum Dei descendantem ὡσεύ περιστέραν quasi columbam, ubi ὡσεύ non nudam similitudinem, sed rei veritatem notat, quod scilicet Spiritus S. visus fuerit σωματικῶς εἶδει ὡσεύ περιστέραν ut exponit Lucas c. 3, 22, corporeà specie columbæ*

B

lumbæ

lumbæ. Sicidem Lucas hoc ipso capite 22. v. 41. dicit: ἀπὸ
σπίθης ἀπὸ αἵματος ὡς εἰ λίθος βολῆν. Ubi Vatablus: Divulsus ab iis
fermè ad jactum lapidis. Sed optimè Richardus Montacutius
in not. ad Phot. Epist. p. m. 194. ad jactum lapidis, non ad simili-
tudinem jacti lapidis. Pari modo & hic, ubi Lucas, Christi
Sudorem ὡς εἰ θρόμβος αἱματικὸς tuisse, affirmat, particula hæc
similitudinis tantum abest, ut similitudinem, ut potius ipsam
veritatis notam habeat. Est itaq; genuinus verborum Evan-
gelistæ hic sensus: Christi sudor fuit verè sanguis, seu guttæ vel
grumi sanguinis concreti atqve inspissati.

§. 9. Deciderunt autem hæc guttulæ concretæ in ter-
ram. Ita enim Lucas: ὡς εἰ θρόμβοι καὶ αἱματικὸς ἐπὶ τῆς γῆς.
Quibus equidem verbis copia sudoris & sanguinis ostenditur.
Notandum hic, quod, ubi Lucas dicit: fuit sudor ejus tan-
quam grumi *Decidentes* in terram, Nicolaus Lyranus reddi-
derit, decurrentis in terram, atqve adeò participium hoc non
ad vocabulum *θρόμβοι* sed ad *αἱματικὸς* retulerit. Quæ tamen
versio minus textui originali respondet, ubi non habetur *κατα-*
βαίνοντες, sed *καταβαίνοντες*, quanquam forsân sensui hoc loco
nihil derogat. Ita etiam Vulgatus per Genitivum vertit, si-
cut & Syrus Interpres, qui distinctè legit: Et factus est sudor
ejus, tanquam demissiones sanguinis & cecidit super terram
(scilicet sanguis) ubi, quod observatum est à Magnifico Dn.
PRÆSIDE AUG. VARENIO, Præceptore æternùm devenerando,
in Breviar. Passion. Anno 1666, edito: *Ad 27*, inquit, *vel san-*
guinem Syrus quoque retulisse videtur, certè non ad grumos, nec
sudorem, ut tamen non neget Syrus, guttas sanguinis vel sanguinem
guttatim cecidisse in terram, & adeò juxta Syrum quia verè san-
guis cecidit in terram, & quod cecidit in terram, fuit ipse su-
dor, non potest non concludi: Illum sudorem fuisse verè san-
guinem.

DOG-

DOGMATICA.

§. I. Excusso nunc igitur sensu literali, rem ipsam bono cum DEO aggredimur. Ubi quidem ante omnia de horum verborum auctoritate inquirendum erit, utrum scilicet Lucas hanc de confortatione Angelicâ & sudore Christi sanguineo pericopam scripserit, an alius quisquam pro Lucæ verbis vendiderit. Fuit enim hæc, quam diximus, historiola de confortante Angelo & sudante sanguinem Christo in dubium olim vocata, teste Hilariol. 10. de Trin. p. m. 155. *Non sanè ignorandum à nobis, inquit, est, & in Græcis & Latinis codicibus quam plurimis vel de adveniente Angelo, vel de sudore sanguinis nihil scriptum reperiri.* Idem Hieron. contra Pelag. l. 2. c. 6. t. 2. Hinc etiam est, quod Sixtus Senensis Biblioth. l. 2. c. 22. p. 30. in secundo scripturarum Canoniarum ordine collocet. Ita enim loquitur: *Historia de sudore Christi sanguineo & de Angelicæ ad ipsum consolatione, quam Lucas Evangelii suæ. 22. describit, idcirco in secundo Scripturarum Canoniarum ordine collocatur, quod de eâ nonnulli ex veteribus addubitarunt, & quod multi perveusti Catholicorum Codices ipsam non habuerint.* Id quod etiam in definitione librorum secundi ordinis seu Deutero-Canoniarum, uti vocat, attulit. Addit præterea; *hanc historiam longè post Apostolorum tempora ad Ecclesia notitiam pervenisse, & à priscis Ecclesia Patribus olim inter apocryphas & non Canonicas Scripturas rejectam, nec dignam esse habitam, ut à capacibus Canonicæ lectionis aut ad dogmatum confirmationem legeretur, sed pari passu cum libris Macchabaorum aliisque fragmentis apocryphis ambulare & serò demum, longè scilicet post Apostolorum tempora inter Scripturas Canonicas receptam esse.* Sed absit, talia proferre, ne dum probare, adeoq; irreverenter, quod scriptura affirmat, negare, & contrarium statuere. Nemo nostrum negabit, hanc pericopam esse Evangelicam, dummodo consideret (1) Codices Hieronymi Græcos, qui sub initium seculi 4. vivens, in quibusdam exemplaribus tam Græcis

quàm Latinis eam invenire scribit. Franciscus Lucas Brugensis, qui (prout ex ipsius præfatione etiam notat Clotzius exerc. 4. de sud. sang.) adhibuit in V. T. Hebraicum & Chaldaicum textus; in N. T. Græcum & Syriacum, Græciq; textus *ἀποστόλων* multa post diligentissimam conquisitionē nullum codicem Græcū invenire potuit, in quo hæc pericopa Lucæ nō haberetur. *Hodie*, inquit, in not. ad Luc. 22. *nec in Latinis ullis nec in Græcis nec in Syriacis libris deesse hæc reperiuntur, ne mediæ postremæq; ætatis narratores cum enarrarent unanimiter, quidquam hujusmodi de sui temporis codicibus notant.* (2) Antiquissimas probatissimasq; Bibliorum versiones, hanc historiolum, pro genuinâ habitam demonstrantes. Primum sibi locum vendicet Syrus Interpres, de quo Tremellius in præf. Syriac. paraph. *Veritati*, inquit, *prorsus est consentaneum, intra ipsa Ecclesie Christi initia vel ab Apostolis ipsis vel eorum discipulis eam esse profectam, nisi forte suspicari malimus, eos scribendo alienigenarum duntaxat rationem habere voluisse, suorum autem gentilium aut nullam, aut certe perquam exiguam.* Et Franc. Lucas Brugensis in præf. super N. T. comment. num. 6. altiùs quàm fas erat, egressus: *hoc* inquit, *teneo firmiter seu indubitanter, Syriacum Novi Testamenti textum vetustissimi exemplaris Græci, & quidem ex primis, loco habendum ac venerandum esse.* Consentit Vergerius dial. 3. contra Hosium, ubi memorat, *quod quaesiverit Mosen Meridionem, quemnam putaret scripsisse Syr à linguâ Novum T. ipse vero responderit, se auctorem ignorare, Codicem fuisse valde vetustum, nec dissentire à Græcis & Latinis Codd.* Hic tamen Syrus hanc expressè legit pericopam, ut adeò dubium non sit, quin in antiquissimis Græcorum codicibus sit reperta; Adde etiam Arabicam, Ethiopicam, Europæasq; versiones longè plurimas, omnes nobiscum sentientes. (3) Omnium ferè Patrum & Dd. Ecclesie, quotquot à Christo nato usque ad hæc tempora vixere, auctoritates, probantes etiam, hanc de Angelo confortante

fortante & de sudore J. C. in Ecclesiâ semper lectam, receptâ, & pro Canonico habitam esse pericopâ. Plura hâc de re qvi legere cupit, adeat famigeratissimum Clotzium loc. antea cit. ubi omnes ex ordine Patres numeravit. Possumus (4) & illud addere, qvòd Lucas sub Evangelii sui initium Cap. scilicet 1, v. 3. promiserit Theophilo, se omnia, prout ab initio assequutus fuit, diligenter ex ordine scripturum. Hinc ergò manu utiq; sua aut scripsit, aut certè subsignavit, ut Theophilus exinde cognosceret, à se (scilicet Lucâ) profectum esse, qvìcqvìd scriptum fuit. Ex his igitur videmus, hunc Lucæ locum Evangelicum esse & maximè Canonicum, secus ac Sixtus Sinensis putavit. Qvòd autem qvìdam argutis suis ineptiis usqve eo etiam processère, ut ista omnia de sudore & Angelo consolante ac pavore, audaciâ plane sacrilegâ elidere atqve educere non vereantur, tanqvam spuria ac sacræ paginæ adpersa, hoc inde est, qvòd, ut Hilarius loco antea citato testatur, *Ariani abuterentur eâ historiâ ad detrahendam Christo divinitatem, & alioquin ipsis videretur fieri non posse, ut in humanam Christi naturam, quæ divinitati personaliter unita est, tam ingens conslernatio cadat.* Verùm metus hic fuit præposterus, & causâ dubitationis insufficiens, siqvìdem, qvòd jam jam dicitur, Christus in summo exinanitionis gradu constitutus, quasvis infirmitates sustinere voluit. *Distinguendum igitur (qvòd Gerhard. in Exeget. artic. de Script. S. p. m. 157. notat) inter naturam Christi divinam & humanam; distinguendum inter statum exinanitionis & exaltationis; distinguendum inter infirmitates, quas Christus sponte propter nos suscepit & inter peccatum ac vitiosos affectus, quibus omninò caruit.* Absit ergò statuere, hæc Lucæ verba Canonica non esse. Verè fuit is illorum verborum auctor & *yeq-φeús* atqve ac totius Evangelii, qvòd, teste Irenæol. i. c. 29, Marcion circumcidit, qvìppe omnia ex eo, quæ de generatione Domini, & multa etiam de doctrinâ sermonum Domini, abstulit,

lit, & non Evangelium; sed Evangelii particulam suis tradidit. Quare autem Lucas de Christi misericordiâ plus, quàm alii, loquatur, certi quidquam decernere non possumus. Anselmus in cap. 4. Epist. ad Col. rationem adsignat, quando: *Lucas, inquit, primò fuit Medicus corporum, deinde conversus ad Christum factus est Medicus animarum & inde plus quàm alii Evangelista loquutus de misericordiâ Redemptoris, per quam languores peccatorum ab animabus pelluntur.*

§. 2. Sed nolumus huic immorari. Probatâ igitur jam auctoritate hujus pericopæ, videndum jam, quisnam Christum confortaverit? Fuisse Angelum bonum, jam antea explicavimus. Mirum autem videri, quod Christus vires, robur, & fortitudinem acceperit ab Angelo, qui ipsius tamen creatura erat, & quæri posset, an non Christus per se ipsum, utpote cujus humana natura unione hypostaticâ unita erat cum divina, ad omnia valente, vires sumere, confortare se atque erigere potuerit? Sed sciendum est, Christum utiq; confortari potuisse à se ipso, nec opus habuisse, ut Angeli confortationem admitteret, sed noluit exserere suas vires, suum robur, quia in profundissimâ jam *κένωσις* positus, infirmus esse maluit & indigus, ut verum se esse hominẽ, nec phantasma quoddam, uti hæretici quidam volunt, ostenderet. Potuisset vel omnino huic se oneri subtrahere, quod nostri causa sustinuit: potuisset vel uno verbo omnes, quotquot in toto terrarum orbe, Judæos aliosq; inimicos, si voluisset, prosternere: erat enim potentissimus: cujus etiam potentia in eo elucebat, dum interrogans, *quem queritis?* omnes, qui cum Judâ aderant, se capturos, in terram decuteret, seu prolabi faceret. Joh. 18, 6. Sed Christus ex mirifico suo in genus humanum amore verus homo factus verè etiam infirmitates nostras, quantum ad inferiorem animæ partem attinet, quæ sensitiva dicitur, assumpsit. Proinde etiam tunc, cum acerbissima ejus passio, tam quæ corpus,

pus, quàm quæ animam attigit, inciperet, consolationem libri
dari passus est, quàm tamen, quia inter homines non reperie-
bat, juxta illud Ps. 69, 21. *expecto, qui condoleat, & nemo adest,*
aut consolatores, tamen non invenio, ab Angelo admisit. Atque
in hoc, quod rerum creaturarum confortatione indiguit, de-
monstrat, verum fuisse, quod David prædixerat Ps. 8, 6. De-
ficere, derelinquere eum paululum facies ab Angelis. Hiero-
nymus quidem & alii verterunt vocem οὐκ ἔστιν οὐδὲν per Latinorum
Deum, sentientes adeò, Christum à Deo ad tempus fuisse re-
lictum, sicut & ipse b. m. Lutherus noster: *Du wirst ihn lassen*
eine kleine Zeit von Gott verlassen seyn. Sed Chaldaus Inter-
pres Angelos esse intelligendos ostendit voce $\text{דַּבְּרֵי מַלְאָכִים}$ ab
Angelis & LXX. παρ' Ἀγγέλων . Consentit etiam Epistola ad
Hebræos c. 2, 7. ubi Autor dicit: *ἠλάττωσας αὐτὸν βραχύ τι παρ'*
τῶν Ἀγγέλων, fecisti eum paulisper inferiorem Angelis & v. 9. *Τὸν*
δὲ βραχύ τι παρ' Ἀγγέλων ἠλάττωμένον βλέπομεν ἰησοῦν: Jesum il-
lum paulisper Angelis inferiorem factum vidimus. Lutheri
quidem, & qui cum eo faciunt, versionem confirmat Christus
ipse in cruce clamans: *Deus mi, quid dereliquisti me?* Matth.
27, 46. *Sed res*, ait Gerhardus harm. Pass. c. 2. p. 76. *eodem re-*
dit, cum Dei & Angelorum presentia gratiosa arctissime sint con-
juncta, proinde quem Deus derelinquit, is etiam ab Angelis dese-
riitur. Apparet autem ex complemento hujus vaticinii, quomodo
Christus à Deo & Angelis fuerit derelictus, non, quod presentia eor-
um gratiosa, patrocinio & sustentatione planè destitutus fuerit, si-
quidem in mediâ morte divinitas τὸ ἴδιον assumte carni personali-
ter unita mansit, sed quia propter nos in tantas venit angustias, ut
Pater cælestis peculiarem Angelum ad confortationem ipsius cælo
mittere necesse habuerit. Hactenus ille. Notanda autem A-
postoli vox ἐλαττωθῆναι , ἔν , quæ propriè, ita quænvquam significat
diminuere aut deprimere, ut ex majori honoris, dignitatis aut
opulentia gradu ad minorem deveniat. Quæ quidem voce
annuit

annuit Autor, quod Christus ex altissimo divinæ suæ Majestatis throno sponte semetipsum propter nos infra Angelos dimiserit, & infra illos adeo inops & egenus factus sit, ut ipsorum auxilio non quidem ex necessitate, nec ex merito quodam hominum & Angelorum, multo minus suâ ipsius culpâ, sed *χάριτι* *ἰεῖς* propter passionem pro nobis omnibus subeundam indigere paulisper voluerit. Describitur ergo ima & profundissima, uti dictum, Christi exinanitio, quæ fuit ad tempus infra Angelos diminutus, ut eorum etiam solatio indigeret. Maximâ sane cum emphasi Bernhard. serm. 1. de S. Andrea col. 325. *Quid Tibi est, inquit, ô Deus fortis! ô Christe Salvator unice! ô Rex Regum! ô Jehovab exercituum! quod Angelum ministrum habes confortatorem Tuum! millia millium adsunt tibi & decies centena millia ministrant tibi Dan. 7, 10. Quorum auxilio & ministerio non indiges! Et hic tamen unus est ex centenis istis milibus confortans te! Et quæ ista tua, mi Angele, audacia est, abs te servo confortari Dominum? abs te discipulo doceri Magistrum? abs te confortari fortitudinem infinitam? abs te sustentari virtutem divinam? abs te creaturâ solatium accipere creatorem! Quæ hac audacia est? Sciebas nempe, planeque sentiebas, jam tempus adesse, quo verus cum Patre Deus Deique filius minuendus esset paululum infra Angelos. Propter te, ô homo, humilis est eternus Dei filius, propter te exinanitus, propter te abs Angelo confortatus. Potuisset non indigere tali solatio, quod ipsemet fons omnis consolationis esset; poteras suo semetipsum brachio sustentare, suâ semetipsum fortitudine de Majestate, quam *σπουδαίως* sibi inhabitantem habuit, corroborare, sed in isto summo exinanitionis gradu omnem consolationem, omnemque divinarum virium influxum, quantum ad hoc propter nos sibi metipso denegavit, quia nostras calamitates suscepit & infirmus propter infirmos factus talem consolationem lubens admisit, qualis nostris infirmitatibus convenit. Hoc tantum notandum, quod, etiamsi Angelus Christum dicatur confortasse, fuerit tamen*

men

men causa solùm ministerialis, à superiori causâ efficiente, scilicet Deo, dependens, ita, ut hæc confortatio non Angelica fuerit, sed prorsus divina.

S. 3. Verùm modus hujus confortationis, quomodo scilicet ea peracta sit, in hæc mentis nostræ caligine pernosci non potest. Pontificii variè sentiunt. Nic. Lyranus in Luc. 22. dicit, illam fuisse factam *per modum servientis ad confirmandam fidem discipulorum, quod sit (Christus) eminentior Angelis ratione Deitatis.* Sed ostendit textus, Angeli confortationem esse factam, atqve ordinatam ad intensissimos atqve excessivos Jesu Christi dolores leniendos; non ut Apostolorum fides, sed ut ipse potius Salvator, ad mortem usqve *περὶ δουρῶ* solatio perfunderetur. Corn. à Lapide in h. l. exteriùs tantùm confortatum fuisse Christum, sentit. Verba ejus hæc sunt: *Confortavit Angelus Christum, non corroborando ejus infirmitatem, sed eximiam ejus fortitudinem collaudando.* Et paulò post: *Confortabat Christum exteriùs loquendo & proponendo ei Patris voluntatem & gloriam, item fructum uberem tùm Christo, tùm hominibus, tùm Angelis ex passione suâ proventurum.* Nam non poterat Angelus interius in anima Christi operari, nec immutare immediatè interiores Christi potentias. Unde sicut exteriùs tantùm à Diabolo tentari potuit Christus, sic ab Angelo exteriùs tantùm confortari, non tamen doceri vel illuminari: ipse enim præ Angelis à primo instanti conceptionis suæ plenus erat sapientiâ & scientiâ. Quæ autem quàm falsa partim sint, quilibet, qui vel extremis tantùm Græcam linguam labiis attigit, videre potest. Vox enim *ἐμψύχων* non dicit solùm *ἰχθῶ*, seu divinæ Majestatis Christi Angelicam celebrationem: sed veram ac realem *ἰχθῶ* in illâ agoniâ collationem. Vid. famigeratissimum nostrum VARENIUM l. c. Fundamentum autem hujus adsertionis suæ est falsa opinio Epiphaniæ hæc. 69. p. 353, & in Ancorato p. 512, ubi confortationem illam statuit fuisse Christi laudationem. Ad-

G

mira-

*miratione, inquit, ductus Angelus dicebat ad ipsum glorificans & benedicens, proprium Dominum in stadio consistentem. Tua est adoratio, tuum est dominium, tua est potentia, tua est fortitudo, ut impleret id, quod à Mose scriptum est: confortent ipsum omnes Angeli Dei. Consentit Theophylactus, qui ibidem impleta hic esse statuit, quæ dicta à Mose in magno Cantico: Et confortent eum omnes filii Dei. Exstat autem hic, quem uterq; allegat, locus Deut. 32, v. 44. ubi LXX. Interpretes sic legunt: καὶ ἐν ἰσχυροῦσι τῶσδε ἀντὶ πάντων ὑοὶ θεῶν. Sed fallit & fallitur uterq; tam Epiphanius, quàm Theophylactus, cum, si fontem Hebraicum inspicimus, ne καὶ quidem illius confortationis, seu ut ipsi explicant, laudationis Angelicæ, invenire liceat, sed simpliciter dicatur: Laudate gentes populum ejus. Benè igitur notandum, quod Heinsius, citante Walæo in Luc. 22. habet: *Mirum est, inquit, quo nonnunquam Hellenistarum interpretatio Patres abducant: Exemplo sit Epiphanius: qui, cum hoc ad veritatem καὶ τὸ ἀπαύραστον humana referat natura in Domino, locum Deuteronomii cap. 32, v. 43. huc trahit: Laudate gentes populum ejus, quia sanguinem servorum suorum ulciscetur. Ita enim ex Hebræo etiam Interpres vetus: Pro quo ille προσκυνησάσθε αὐτῷ πάντας ὑοὶ θεῶν, καὶ ἐν ἰσχυροῦσι τῶσδε ἀντὶ πάντων ἄγγελοι θεῶν, etiam aliter, quàm apud Hellenistas legitur, apud quos ἐν ἰσχυροῦσι τῶσδε αὐτῷ, ut cetera omitteram: De quo, ut & de Angelis, Hebræus nihil scit. Haftenus ille. Quocirca videmus, quod Evangelista nequaquam tribuat Angelo laudationem & glorificationem sed confortationem, per quam interior animi virtus & fortitudo accrevit. Facta autem hæc confortatio est, uti Theologi docent *primum, propositione obsectorum*, quorum intuitu dolor in Christo mitigatus est. *Proposuit* forsan decretum Patris cœlestis & vaticinia Prophetarum, quod redemptio generis humani non possit alio modo, quàm passione & morte ipsius, utpote qui hæc partes in se susceperit & in sanctissimo Trinitatis concilio Mediator constitutus**

titutus sit, perfici. Proposuit illa, quæ à se dicta notat Jon. c. 14,
34. hunc suum esse cibum, facere voluntatem Patris, ad quam
utiq; etiam hoc pertinebat, ut calicem passionis sibi oblatum
bibat. Proposuit egregium passionis suæ fructum, gloriam
scilicet corporum sanctorum, semen longævum. Proposuit
omnium peccatorum, quam passione & morte jam nobis ac-
quisivit, remissionem, iræ divinæ expiationem, mortis tem-
poralis & æternæ destructionem, regni Diabolici everisionem,
& quæ similia nobis exinde bona obvenerunt. Proposuit et-
iam dubio procul spem latissimæ & gloriosissimæ resurreccio-
nis, ut eâ animatus fortiter passionem aggredere-
tur. Accedit, quod etiam Angelus hic in formâ humanâ apparens Christum
humi jacentem erexit, sudorem sanguineum absterferit,
verbis consolatus sit & modis aliis nobis ignotis eum confor-
taverit. Vid. Gerh. pass. Harm' c. 2. p. 75. Addatur & Sebast.
Barradius t. 4. *Deinde etiam interius confortavit Angelus Chri-
stum, ad debellandos hostes infernales. Erat, quod sæpius mo-
nitum est, Salvator noster in extremo exinanitionis gradu,
in quo, etiam si quoad $\kappa\tau\eta\sigma\iota\varsigma$ omnis sapientiæ & scientiæ thesau-
ros possidebat, tamen quoad $\chi\alpha\rho\iota\sigma\iota\varsigma$ plenè exserere noluit; sed
abdicavit se spontè plenario illorum usu & denegavit sibi influ-
xum divinarum virium, suspenditq; & retraxit paulisper radi-
os divinæ collustrationis & confortationis in animâ suâ, ut hâc
etiam in parte tentatus nobis per omnia similis fieret. Et
quia nostras infirmitates susceperat, idèò utitur tali consola-
tione, qualis convenit nostris infirmitatibus. Unde glossa
interlinearis pulcherrimè dicit: *Homo factus eo modo con-
fortatus, quo & contristatus. Nam si nobis tristis est, h. e.
propter nos tristis est, utique etiam propter nos confortatus est
nobis.* Absit tamen statuamus, Angelum recepisse in se quan-
dam illius oneris, quo tunc Christus premebatur, partem, lu-
ctæ scilicet cum irâ Dei, maledictione, morteq; æternâ. Nam
solum torcular Christus calcavit, & non fuit quisquam cum eo*

211. 3. Hinc non inconcinne veteres dixerunt: Angelus confortat quidem, sed non portat. Fuit igitur Christus, ab Angelo verè confortatus, fuit verè fortitudo ex æternis divi- næ potentia thesauris per Angeli ministerium Christo collata. Atque sic ministerialiter ab Angelo: ab ipsis autem rebus ob- jective confortatio facta est.

§. 4. De fine seu de fructu & effectu Confortationis, quæ fortitudo est & alacritas in sanctissima Salvatoris nostri ani- mæ exorta, ut agerè, reliquum esset, sed, quia de iis partim egi- mus, partim etiã postea acturi sumus, hinc super sedemus, atq; ad agoniam ipsam progredimur, eaq; in quibus consistat & unde orta sit, videbimus. Audivimus jam varias hujus vocis si- gnificationes, & quæ huic loco conveniat, explicavimus. De Damasceni tamen descriptione, quin pauca adhuc addam, fa- cere non possum: Variæ enim de illâ sunt sententiæ. Ἄγω- νία ille explicat per φόβον ἀγαπῶσθαι, ἢ γὰρ ἀποτυχίας per metum casus aut infortunii. Ad quæ verba scitè etiam Commenta- rius: *Agonia*, inquit, *definitur esse timor & sollicitudo, mentem vexans, ob malum extrinsecum jamjam perferendum, cui resisti non potest. Siquidem, si quis in futuro certamine aut difficili re- tolerandâ, quam detrectare & subterfugere non potest, exhorre- scat & timeat laboris gravitatem & pondus, in agonia esse dicitur.* Addit etiam: *Præterea hic ab Auctore describitur agonia esse ti- mor sinistri casus & infortunii. Cum enim quidquam aggredi- mur, cujus incertus est exitus & timeamus infortunatum & infa-ustum in cære finem, aut successum, tunc agonizamus & agonia premimur.* Atque hæc ratione hanc ἀγῶνας acceptionem et- iam hujus esse loci, statuere, incongruum non est; siquidem Christo quoq; luctandum erat μετὰ φόβου ἀποτυχίας. Gerardo qui- dem, Theologo longè celeberrimo (in harm. pass. c. 2. p. m. 64. parum verisimilis hæc sententia videtur, quando hanc ἀγῶνας significationem idèò huc non quadrare dicit, quia Christo probe

probè constitit, se non frustratum iri laboris sui fructu. Verùm quod probè Erasmi, Schmid. ad h. l. & D. Müllerus in hystor. Pass. p. 8. notarunt, sciendum, *anxia* illam non fuisse metuendam *ratione effecti*, h. e. redemptionis generis humani; *sed ratione fructus illius effecti*, quandoquidem omniscientiã suã Christus prævidit, maximam generis humani partem hoc *æq̃* suo sufficientissimè præstando & jam præstito propriã suã culpã non fruituram. Proinde etiam notandum, *timorem illum, qui in hac agonia datur*, (ut c. l. Magnus noster PRÆSES loquitur) *esse magnam agonie partem, & adeò non habere se, sicut timor antecedens aut concomitans pugnam luctatoris, cui planè contradistinguitur: quippe qui hic datur, non est ex agone; sed ipse potius agone ex hoc est timore, cum ibi sit timor ex agone.* Sedit autem Christus sese pugne, nec solùm cum morte, sed etiam cum eo, qui habet mortis imperium, h. e. cum Diabolo & totã infernalium potestatum phalange luctatur, Hebr. 2, 14. Hinc etiam Christus ipse per Davidem Ps. 116, 3. dicit: Circumdederunt me funes mortis & angustie inferni invenerunt me, angustiam & dolorem inveni. Verè igitur infernales dolores sensit, qui certè omnes dolores, quos in hac vitã homines pati possunt, exceßerunt, adeò, ut, si in peccatis conceptus homo vel quartam tantùm horum dolorum partem sustinere debuisset, ne vel ad momentum quidem vivere potuisset. Audiamus enim quinque illas, quas ex scripturis colligunt Theologi, potissimùm angoris illius in Christo causas. (1) Imposita sibi habebat, non hujus vel illius, sed omnium omninò, quotquot jam nati sunt & adhuc nascendi, hominum peccata, quæ quantum onus fuerint, cuilibet colligere facile est. Atque de hoc sibi imposito onere queritur Ps. 40, 13. quando dicit: Circumdederunt super me mala; (sicut Xantes Pagninus ad verbum vertit) usque ad non numerum, i. e. innumera; comprehendunt me iniquitates meæ & non potui videre. Ubi *suas* dicit ini-

C 3

-qvita-

qvitates, non qvod propter sua propria delicta percussus sit; qvia non habuit, sed propter nostra delicta, qvæ sua fecit, ut suam contrà justiciam nostram faceret, id qvod Esaias c. 53, s. & 6. & Apostolus 2. Cor. 5, v. ult. testatur. (2) Maledictionem legis, qvam nos peccatores experiri debebamus, sensit, propter nostra in se suscepta peccata. In eo enim Christus erat, ut ab execratione legis nos redimeret; hinc non poterat non pronobis fieri execratio. Gal. 3, 13. Ubi notandum, qvod Christum per Metonymiam Apostolus vocet *κατάρα* maledictionem seu extremam diris devotionem, eine Versuchung / sicut scelus, pro scelesto. Potuisset dicere *γινόμενος ὑπὲρ ἡμῶν ἐμνασίγῃ*, sed noluit, cùm ἐμφαικτικῶς in abstracto loqvatur, qvàm concreto. Et certè hæc maledictio dolorem anxii. (3) Tertia agonias causâ est ira Patris cœlestis gravissima, qvam ut certissimum peccatorum comitem persensit. Hinc Pl. 88, 7. Super me facta est excandescencia tua & cunctis procellis tuis afflixisti. & v. 17. super me transierunt iræ tuæ: terrores tui succiderunt me: circumdederunt me sicut aqua totâ die. En, ô homo, aternus Dei Filius & charissimus, sicut dicitur Matth. 3, & 17. hic, inqvam, à Deo derelinqvitur, à Patre percuitur & duriter tractatur! Annon ergò exinde agonia sequeretur? (4) Adversabantur ei omnes inferorum portæ, scilicet Satanas cum toto infernali exercitu. Hic enim, qvia homines in suam propter peccata potestatem venerant, nolebat eos amittere. Qvare fieri non poterat, qvin pugnam cum illis pugnaret, tanqvam sponsor pro nobis sistendus. Jam verò qvilibet consideret gravitatem illius prælii. Christus erat solus ex unâ parte; ex alterâ verò toti Diabolorum exercitus, totæ legiones: Christus erat infirmus, qvippe cujus divina potentia exserere se nolebat; Diaboli erant robusti & validi: Christus erat inermis; Diaboli armati omnes. Qvântam igitur, ô homo, luctam hanc fuisse censes? Sed neqve hi

foli

soli pugnant. Accedit etiam (5) mors temporalis & aeterna, tanquam stipendium peccati Rom. 6, 23. quæ utraq; non minimum etiam pondus habuit. Videmus igitur, quæ hujus agonias causa fuerit, scilicet tot tantiq; hostes, qui non seorsim, sed simul in pugnam Christum vocarunt, ut adeò summa Christi luctantis angustia facillè pateat. Hinc optimè B. Dorscheus in Theol. Zachar. c. 9. §. 362. *Pugna fuit, non inter carnem & Spiritum, sed inter Christum secundum humanam naturam & peccata totius generis humani, incurrentia in Christum, circumvallata omnibus illis doloribus & horroribus, quos peccata promerentur, ex parte justitiae Dei vindicatricis sive effectivè, sive permissivè. Certatum est cum irâ Dei Patris sedandâ, cum delendis ignitis spiculis Satanae, cum morte infernali deglutendâ, cum doloribus amolendis. Huic certamini confortatio Angelica admirando divinae sapientiae temperamento subvenit.*

§. 5. In hac igitur *ἀγῶνι* constitutus Christus *ἐκταραχῆς* *ἢ ὀδυροῦ*. Quænam autem preces fuerint, Evangelista non expressit. Ex comparativo autem colligere est, fuisse easdem, quas antea fuderat, sicut etiam reliqui Evangelistæ testantur, Christum ter easdem preces orâsse. Intensius verò jam orat, quia angor augetur. Crescente enim dolore, vis precatationis etiam intendenda est. Orabat autem Christus *in loco orationibus oportuno*, scilicet in horto ab urbe & ab omni strepitu secretus. Ibi supplex Patrem rogat: ibi contristatur: ibi cum morte luctatur: ibi gemit: ibi suspirat, ac non sine miraculo sanguinem sudat. Id quod nec sine causa factum Patres existimant. Cyrillus l. 2. in Joh. c. 31. *Ut in Paradiso, inquit, malorum initium est factum, sic in horto Christi passio incepit, per quam à malis liberati in pristinum habitum restituti sumus.* Augustinus serm. 71. de Temp. *Conveniens erat, ut ibi funderetur sanguis Medici, ubi primum cœperat morbus agrati.*

Ora-

Oravit etiam nocturno tempore, ubi omnia erant tranquilla, pacata atqve ab omni impedimento libera. Oravit flexis genibus primùm, ut ex Luc. 22, v. 41. constat, postea autem procidens in faciem & prostratus in terram, uti Matth. 26, 39, & Marc. 14, 35. legimus. Ecce, pedes suum ampliùs officium facere nequeunt, genua labant, propter præcipitem virium delapsum, instarq; vermiculi sese in terrâ præ anxietate contorquet. Unde probè notandum, quod, citante Walæo in h. l. Grotius habet: *Ante, inquit, genua flexerat, nunc toto corpore in terram procumbit. Eo autem situ corporis orare viri sancti solebant in extrema necessitate. Quare errant, qui hic confundunt τὴν ἰστένην ἡμέραν & τὴν ἡμέραν ἣν ἠεὶ ὠραῖται.* Hoc enim est ἐκ τῆς ἱστορίας τοῦ εὐαγγελίου.

Oravit etiam Christus, uti quidam colligunt ad integrum horæ spatium, ducti verbis Marci c. 14, 35. & Joh. 12, 27. ubi Christus orat, ut à se hora transeat. Addunt & illud, quod Christus dixit Petro: Adeò non potestis unâ horâ mecum vigilare Mat. 26, 40. Marc. 14, 37. Alii volunt tres integras horas in precibus consumsisse, ut Drexelius. Sed quidquid sit, quod Christus preces suas continuaverit ad tempus, ex omnibus Evangelistis patet. *Petit autem Christus, ut si fieri possit, à se poculum hoc transeat.* Per poculum seu calicem ~~ἡ ζωὴν αἰώνιον~~ totam instantem passionem suam intelligit, phrasi non Prophetis solum Jer. 25, 17. Thren. 4, 21. &c. Sed ipsi etiâ Christo usitatâ, ut Matth. 20, 21. Marc. 10, 38. Joh. 18, 11. legere est. Calicem autem quare passionem suam vocet, Theophylactus indicat in Cap. 18. Joh. scilicet, quod dulcis fuerit Christo & desiderabilis propter salutem hominum. Sed quia Christus deprecatur hunc calicem, possumus etiam cum Gerardo harm. pass. c. 2. p. 99. intelligere calicem iræ & furoris divini, qui sæpiùs in V. T. proponitur Ps. 11, 6. Es. 51, 17. Jer. 25, 15, 17. Non autem simpliciter & absolute, à se ut transeat ille calix, vult, sed conditionate: si nempe Patris sit voluntas, si possibile sit, i. e. si aliâ ratione

tione

tione atq; alio quodam medio opus redemptionis perfici atqve pro pec-
 catis hominum satisfieri possit. Sed, ais, Christus noverat, non alio
 medio salutem procurari potuisse, quàm epotato hoc calice. Unde er-
 gò dicit: si possibile est, si vis, transfer à me calicem? Respondet Ger-
 hardus l. c. *Orat, ut verus homo, ideoq; ex communi piorum more o-
 culos & animum à consideratione decreti divini paulùm averit & desi-
 derium suum, quo aestuabat, in sinum Patris cœlestis deponit.* Sed cir-
 ca has Christi preces unicum adhuc expediendum mihi esse censeo: *u-
 trum scilicet Christus suâ sponte agoniam hanc in se suscepit?* Novimus ex
 historiâ Passionis, Christum non solum deprecatum esse passionem, sed
 contristatum etiam fuisse, animo ac corpore perhorruisse, præ mœore
 animi concidisse, id quod Evangelistarum verba *λυπέσθη, ἐκθαμβήσθη
 & ἠδυνήσθη* arguunt. Sunt quidem, qui timorem in Christum cadere
 potuisse, si non planè inficiari, saltem dubitare cœperunt, quos inter
 Thomas part. 3. summ. Angel. quæst. 15. art. 7. Sed cùm Evangelistæ
 expressè illud testentur, dubitare de eo neque possumus neque debemus.
 Sciendum autem, quod sæpius dictum, Christum suscepisse nostras infir-
 mitates & debitas peccatorum nostrorum pœnas. Jam verò inter eas
 etiam hoc continetur, quod aversemur, timeamus & exhorrescamus
 mortem: natura enim refugit sui dissolutionem vel interitum, & quasi
 se coarctat & reluctando contrahit, ne destruat. Distinguendum
 igitur est inter voluntatem Christi divinam & humanam. *Volebat qui-
 dem humana natura, ut Theophyl. ait in c. 22. Luc. vivere, quippe hoc natu-
 rale, & sequebatur deinde divinam voluntatem.* Vel distinguendum est in-
 ter voluntatem Christi, quatenus refertur *circa se* ad iratum Dei judici-
 um, passionis actum & angores præsentis: vel *supra se* in consilium Pa-
 tris & fructum passionis. Priori; non autem posteriori respectu cali-
 cem à se transferri petit. Ità enim Christus spontè passus est, sicut dicit
 Pl. 40, 8. *Ecce venio, in volumine libri scriptum est de me: Facere vo-
 luntatem tuam, Deus mi, delector, & lex tua est in visceribus meis.* Et
 Joh. 10, 8. *Nemo tollit animam de me & ego depono eam per me ipsum:
 auctoritatem habeo deponendi eam, & auctoritatem habeo rursus eam
 assumendi.* Absit ergò statuere, coactè, Christum passum, inq; angore
 versatum fuisse.

§. 6. Sequitur jam, ut paucula adhuc de sudore addamus sangvi-
 neo. De causâ autem efficiente hujus sudoris, cùm jam egimus, quæ in-
 gens illa agoniam fuit, duo tantùm videbimus, sciscitabimurq; utrum na-
 turaliter

D

turaliter

turaliter, an miraculosè sanguis decurrerit in terram, & ubinam pretiosus
 hic Christi sanguis manserit. Ad prius quod attinet, variè varii con-
 jectant. Novimus eqvidem quosdam excrementa cruenta sudasse
 naturaliter. Ita Aristoteles l. 3. de partibus animalium cap. 5.
 refert, accidisse aliquando, ut quidam cruentum aliquod excre-
 mentum sudarint, quod ipse vocat *ἀμαρῶδες περιττώμα διὰ καχεξίας*
 excrementum quoddam, sanguinis colore imbutum, à vitiato corporis
 habitu ortum. Feminam fuisse affirmat, non ex plebe testis Episcopus
 Conimbricensis, quæ mariti sui mortem eo lacrymarum imbre prosequu-
 ta est, ut lacrymis deficientibus sanguineas guttas oculi stillarint. Mal-
 donatus etiam t. 1. in Evang. c. 26, v. 38. Matth. *Audite, inquit, ex his, qui*
viderunt & cognoverunt ante annos duos Lutetie Parisiorum homi-
nem robustum & bene valentem, auditâ in se capitali sententiâ, sudore
sanguineo fuisse persusum. Sed sudor sanguineus Christi multis modis
 ab his exemplis differt. *Christusenim, ut ait Gerh. pass. har. c. 2. p. 66.*
non excrementum aliquod sanguinis colore tinctum, nec seorsim aliquem sangui-
nem, sed verum & naturalem sanguinem exsudat, idq; in tanta copiâ, ut gru-
mi ejus in terram desluant, neque ex καχεξία corporis, sive ex aliis causis, su-
dorem istum sanguineum profundit. Vult quidem Sebast. Barradius l. 6. con-
 cord. Evang. c. 13. pro adstruendo effluxu naturali rationem afferre,
 quia scilicet sudor hic sanguineus ex naturali angore profectus sit. Sed
 supernaturalem eum fuisse angorem & extraordinarium potius, statui-
 mus, quia non ex nudo mortis naturalis timore provenit, sed à causâ
 quâdam altiori Christo imminente. Hilarius dicit, contra naturam
 fuisse, quod Christus sanguinem sudaverit, & nemo debeat audere infir-
 mitati deputare; Non enim infirmitatem esse, quod potestas non se-
 cundum consuetudinem gessit. Sanguis quidem ille naturalis: sed
 effusio ejus cum sudore miraculosa fuit, ut tali signo insolito à seculis
 non audito insolitam anxietatis suæ & magnitudinē doloris Christus de-
 monstraret. Rationes adsertionis hujus nostræ variæ esse possunt. Mi-
 litat enim pro nobis (a) *materia*, quæ sanguis fuit nutrimentalis & alendis
 omnibus corporis particulis destinatus, quem retineri potius quàm ex-
 cerni fas erat: natura enim more debito operans non alimentum sed
 excrementum excernit, id quod etiam Galenus l. 3. de sympt. caus. p. 687.
 affirmat: *quando; quod ad sanguinis excretiones, inquit, pertinet, si excipi-*
as eam, quæ feminis per singulos menses accidit, reliquæ omnes toto ge-
nerè præter naturam existunt. (b) *Subjectum* quoq;, ex quo sudor hic
 permanavit, pro nobis facit. Aliàs oculis lacrymatus est Salvator, sed
 brevi

brevi ante mortem & manibus lacrymatur & humeris & genibus, toto demum corpore membrisq; omnibus lacrymas profundit, verè ut illud prisce Poëtæ Lucani l. 9. f. 152. de animali hæmorrhoo usurpare hic liceat,
 Sanguis erant lacrymæ, quæcunq; foramina novit
 Humor, ab his largus manat cruor, ora redundant,
 Et patulæ nares: Sudor rubet, omnia plenis
 Membra fluunt venis: totum est pro vulnere corpus.

Huc etiam (c) pertinet *quantitas*, sive *excessus*, quod in tantâ Christi copia sudarit sanguinem, ut etiam Evangelista dicat: non paucas sanguinis guttas corpus madefecisse, sed rivulorum instar & torrentium in terram decurrisse. Drexelius t. 2. part. 2. deliciarum gentis humanæ c. 2. §. 4. p. 468. esse aliquos, narrat, qui, nescit quâ notitiâ, Dominicî sudoris guttas numerent, dicantq; effluxisse centenas quinquagenas octonas. Sed incerta, ait, hæc mittamus. Ego innumeras fuisse guttas malim dicere & penè rivulum, sive Christi vestem, sive solum horti considerare. Accedunt alia nempe (d) *qualitas*, quod scilicet sanguis fuerit purus & non permixtus: fuerint item grumi, non guttæ, quæ effluere possent. Et quod mirum, etiam si Christus tantum sanguinis sudaverit, absq; tamen vitæ periculo factum hoc est. Rectiùs igitur statuimus, effusionem sanguinis hujus non mere naturalem fuisse, quidquid etiam alii hæc de re statuunt. Habemus consentientem Gerhardum harm. pass. c. 2. p. 66. ubi dicit: *Cùm sanguis undiq; venis, velut tubulis ac canalibus inclusus carne insuper & cutis tegumento prohibeatur, ne effluere possit, ac si vel maxime referatis venarum orificiis profluat, pori tamen angustiores ejus è corpore exitum prohibeant, idèd res ipsa testatur, magnum hoc fuisse in corpore Christi miraculum.* Mullerus, Theologus hic quondam celeberrimus in hist. pass. p. 17. *Omnia, inquit, hîc excedunt naturæ rationem sanguinis prorumpentis tum causa efficiens, quæ erat onus peccatorum, sensus iræ divinæ, lucta cum Diabolo, morte & inferno; tum forma: non fuit hic sanguis fluens, qualis aliàs esse solet, sed spissarum & condensatarum guttarum; tum finis, qui erat totius generis humani redemptio.* Aristoteles sudorem illum, pergit, *cruentum, cujus meminit, vocat αἷματόδες πρὸς τὸ πρῶτον ἀγὸν καὶ χεῖλαι.* At verò sudor Christi non fuit 1. αἷματόδες, sive sanguinis colore tinctus; sed ipsum αἷμα, verus & naturalis sanguis. Nec 2. ex vitiatò corporis habitu provenire potnit, cum servatorem perfectâ corporis constitutione præditum fuisse nullam sic dubium. Addatur & Calvinî harm. Evang. f. 397. Et Gabriel Biel tract. de pass. art. 4. & alii.

§. 7. Unicum nunc illud superest, ut videamus, ubinam hic sanguis

guis Christi manserit? Egesippus annotat, natam ex hujus sanguinis
 adspersione arborem, quæ in foliis hanc præferat scripturam: *o mors
 quam amara est memoria tua!* Sed fabula hoc potius est, quam historia,
 quæ nullum habet in Scripturâ S. fundamentum. Quidam sunt, qui
 putant, sanguinem Christi adhuc in terris adseruari, & in resurrectione
 non fuisse totum à Christo resumtum, ut sunt Sylvester, Cajetanus &
 Thomistæ pleriq;. Sed quàm falsum hoc sit, ex ipso etiam Gabr. Vasque-
 zio t. 1. in part. 3. th. f. 263. probamus. Ita enim ille: *Primum, inquit,
 pronuncio, nullam particulam sanguinis Christi, sub formâ sanguinis in terra
 mansisse: hoc dixerim eò, quod nullum sit fundamentum, ut adseramus opposi-
 tum. Nam quod aliquibus in Ecclesiis ostendantur vasa aliqua, que
 sanguinem Christi contineant, non satis est, siquidem habemus testimo-
 nium Athanasii approbatum in VII. Synodo, qui ait, sanguinem Christi,
 qui aservatur in Ecclesiis, ex illâ imagine percussâ effluxisse, &c.* Tho-
 mas, Erastus, Curæus & alii Zwinglianorum docent, sanguinem Christi,
 quem tempore passionis effudit, in terra corruptionem sensisse, nec rur-
 sus à Christo recollectum, inq; venas dispersum. Sed blasphemia hæc
 est insignis in Deum: credat Judæus Apella, non ego. Nam quod Chri-
 stus semel assumit, est regula Theologorum, nunquam deposuit. Et si
 mors pariter ac sanguis sanctorum pretiosi fuerunt in oculis Jehovæ Ps.
 116, 15. quanto magis sanguis filii Dei, qui nos emundat ab omni peccato.
 1. Joh. 1. Nunquam credamus, Christum suum ipsius sanguinem corrup-
 pi sisse, & eum quidem sanguinem, quo ecclesiam sibi acquisivit, Act.
 20, 28. Potiora loquitur illius sanguis, quàm Abelis Hebr. 12, 24. Accedit,
 quod Petrus dicat 1. Ep. c. 1, 18. Nos non esse corruptibilibus rebus, non
ὄψατοῖς, uti fons habet, redemptos, sed pretioso sanguine, utpote incul-
 pati & incontaminati agni, nempe Christi. Ubi Petrus expressè Christi
 pretiosum sanguinem distinguit & opponit rebus corruptibilibus. Me-
 ritò igitur rejectis illis anilibus quorundam adversariorum nostrorum
 fabulis, statuimus, & verè quidem, quod, nec sanctum Christi corpus
 Ps. 16, 10. Act. 2, 27. & c. 13, 35. ; ita nec sanctum & pretiosissimum sangui-
 nem corruptionem sensisse. Sed sufficiant illa, quæ diximus. Grâti-
 as autem Tibi agimus, ô Deus immortalis, qui in Trinitate es unus & in unitate
 trinus, pro agnitâ hæc veritate, immortales. Sicut jam nostram direxisti
 mentem & linguam; ita etiam posthæc nobis semper assiste, ut præclara
 Tua in nos merita magis indies magisq; celebremus atq; magnificiamus.
 Sint tibi sancte Pater, cum Nato & Flamine Sancto
 Grates, & mentem nostraq; labra rege!

F I N I S.




brevi ante mortem & manibus lacrymatur & h
demum corpore membrisq; omnibus lacrymas pr
prisci Poëta Lucani l. 9. f. 152. de animali hæmorrh

Sanguis erant lacrymæ, quæcunq; foram
Humor, ab his largus manat cruor, ora re
Et patulæ nares: Sudor rubet, omnia pl
Membra fluunt venis: totum est pro vul

Huc etiam (c) pertinet *quantitas*, sive *excessus*
ffus copia sudarit sanguinem, ut etiam Evangelii
sanguinis guttas corpus madefecisse, sed rivulorum
in terram decurrisse. Drexelius t. 2. part. 2. delict
c. 2. §. 4. p. 468. esse aliquos, narrat, qui, nescit
sudoris guttas numerent, dicantq; effluxisse cent
ctonas. Sed incerta, ait, hæc mittamus. Ego innu
lim dicere, & penè rivulum, sive Christi vestem, su
rem. Accedunt alia nempe (d) *qualitas*, quod scil
rus & non permixtus: fuerint item grumi, non gu
sent. Et quod mirum, etiam si Christus tantum san
tamen vitæ periculo factum hoc est. Rectius igit
nem sanguinis hujus non mere naturalem fuisse, qu
de re statuunt. Habemus consentientem Gerhard
66. ubi dicit: *Cùm sanguis undiq; venis, velut tubul
carne insuper & cutis tegumento prohibeatur, ne effluere
referatis venarum orificiis profluat, pori tamen angustior
prohibeant, ideò res ipsa testatur, magnum hoc fuisse in
lum.* Mullerus, Theologus hic quondam celeberr
Omnia, inquit, hæc excedunt naturæ rationem sanguini
sa efficiens, quæ erat onus peccatorum, sensus iræ divi
morte & inferno; tum forma: non fuit hic sanguis fluen
sed spissarum & condensatarum guttarum; tum finis, qu
mani redemptio. Aristoteles sudorem illum, pergit,
nit, vocat ἀματώδες πρὸς τὴν ψαχὴν ἀγὰ καὶ ἐξίαν.
non fuit 1. ἀματώδες, sive sanguinis colore tinct
verus & naturalis sanguis. Nec 2. ex vitiatò corp
potuit, cùm servatorem perfectâ corporis constitu
nullum sic dubium. Addatur & Calvinii harm. F
briel Biel tract. de pass. art. 4. & alii.

§. 7. Unicum nunc illud superest, ut videam



bus, toto
ut illud
licet,

tâ Chri
paucas
rentium
humana
ominici
enas o
ttas ma
conside
erit pu
ere pos
it, absq;
effusio
alii hæc
c. 2. p.
inclusus
maximè
exitum
miracu
ff. p. 17.
um cau
Diabolo,
sse solet,
eris hu
us memi
r Christi
ōs pa,
ovenire
fuisse
Et Ga
hic san
guis